De nominibus latinis suffixi -no- ope formatis observationes variae

Skutsch.

DE NOMINIBVS LATINIS SVFFIXI *-NO-* OPE FORMATIS OBSERVATIONES VARIAE

COMMENTATIO PHILOLOGA
QVAM SCRIPSIT
ET
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
CONSENSV ET AVCTORITATE
IN
ALMA LITTERARVM VNIVERSITATE VIADRINA
AD
VENIAM DOCENDI RITE IMPETRANDAM
DIE II. M. AVG. A. MDCCCXC HORA XI.
IN AVLA LEOPOLDINA
VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

PVBLICE DEFENDET

FRANCISCVS SKVTSCH
NISSENSIS.

ADVERSARII ERVNT
GEORGIVS STRAEHLER DR. PHIL.
MAXIMILIANVS CONSBRVCH DR. PHIL.
BERNHARDVS SCHNECK CAND. PHIL.

VRATISLAVIAE
APVD GVILELMVM KOEBNERVM
MDCCCXC.

PATRIS CARISSIMI
MEMORIAE

I.

De *ueneni* et *uenefici* uocabulis si grammaticos nostros et etymologos adieris, miraberis quanto minus confidenter de illo quam de hoc iudicauerint. Etenim omnes, quantum ego scio, altum silentium tenuere de *ueneno*, at nemo hucusque *ueneficum* e *ueneni* et *faciendi* uocabulis deducere dubitauit. Conferas, quos ceterorum loco tibi ascribo, KUEHNERUM gramm. lat. I pg. 85, 132; POTTIUM BB VIII 95; WOELFFLINUM arch. IV 11; STOLZIUM gramm. lat.² § 68, qui idem iam antea libelli de nominum lat. comp. pg. 37 protulerat. At uide mihi quanto rectius grammatici acturi fuissent, si non minus de *uenefico* quam de *ueneno* tacuissent. Quomodo enim **uenenificum* in *ueneficum* transire potuisse arbitrantur? In duas partes uirorum doctorum de hac re opiniones uidentur abire posse. E quibus prior eaque generali fere consensu accepta haec est, dissimilatione quam dicunt syllabica effectum esse, ut e syllabis continuis *-nêni-* altera eiceretur. Hanc sententiam quominus probemus, impedit dissimilationis illius lex primaria: nisi a consonante, a qua syllaba incipit, ad parem consonantem syllabae insequentis aut a uocali, quae syllabam terminat, ad parem uocalem syllabae insequentis transiliri non posse. Poterat e **uenenifico*, hanc legem si respicimus, fieri **uenĭficus*, non poterat *uenêficus*. STOLZIUS autem, qui libelli modo memorati loco citato item ut KUEHNERUS l. m. pg. 56 not. 2 ipsum illud **uenĭficus* exhibet, undenam hanc formam hauserit, nimis scire uelim.

Quam uero in grammatica latina l. m. formam posuit **uen[en]e(i)ficus*, eam me ne intellegere quidem ingenue fateor.

Altera ratio est eorum qui ui accentus prisci **uenenificum* primum in **uenenficum*, dein sonorum mutatione in formam legitimam abiisse sibi persuaserunt. Hi autem, ut concedam fieri potuisse ut tertiae ab initio syllabae uocalis elideretur,[1]) exemplum nullum certum habent, quo

[1]) Ne quis mihi OSTHOFFII legem obiciat, qua ille post longam cuiuslibet syllabae uocalem uocalem insequentis syllabae eiectam esse statuit (Woelffl. arch. IV 465 not.), hoc loco cautum uelim. Cuius rei haudquaquam certa protulit exempla. *Matertera* enim uocabulum, quod POTTIUM (EF I² 291, 724 n.; KZ XXVI 155) **matĕr itera* explicantem secutus **matêr itera* olim fuisse dixit, simplicius ueriusque me iudice L. MEYERUS (gramm. comp. II 547) nil nisi suffixum *-tero-* continere statuit, de cuius significatione infra dicemus. Exortum est igitur uocabulum aut ex **mátritera* aut ex **mátrotera*. *Consuetudo* autem, *inquietudo honestas* recte a FICKIO (KZ XXII 98 sqq. 371 sq.) per syllabarum dissimilationem explicata esse ne ipse quidem OSTHOFFIUS praefracte negat.

Subtrahuntur hoc modo legi Osthoffianae omnia externa, ut ita dicam, adminicula. Namque his utitur, ut eandem legem in aduerbiis in *-iter* exeuntibus obseruari demonstret, quae ex adiectiui cum substantiuo *iter* coniunctionibus exorta esse conicit probauitque BRUGMANNO (gramm. comp. II pg. 61) et STOLZIO (gramm. lat.² § 93). Non recte, puto. Quamuis licet de lege illa certis exemplis carente taceamus, supersunt tamen grauissima quaedam argumenta quae contra OSTHOFFII explicationem ualeant. Ne in leuioribus monendis me morer uelut in quo ipsum haesisse uides OSTHOFFIUM (pg. 464), cur nulla inueniantur aduerbia in *-ertiter*, *-antiter*, *-entiter* exeuntia curue nullae stirpes in *-o-* et *-i-* exeuntes *i* uocalem ante *-ter* eiciant (uelut **auârter*, **commûnter*, **cîuîlter* alia), cuius rei haud scio an elisionem antea factam (**auâr'iter* **ciuîl'iter*) causam esse dicturus sit, ne uerbum quidem fecit de eo quod certe ante omnia demonstrandum erat, posse accusatiuum *iter* eo quo contendit OSTHOFFIUS sensu adhiberi. Videas exempla allata l. m. pg. 456: hoc certe demonstrant posse *iter* metaphorice usurpari — quode quis unquam dubitauit? — sed eadem demonstrant sensu aduerbiali (modali) adhiberi a b l a t i u u m. Deinde uero OSTHOFFIUM si sequimur, non solum illa *praeter propter inter subter* (cf. praeterea *extr-a ultr-a* sim.) a reliquis aduerbiis in *-ter*

confirment ante *f* litteram nasalem euanescere potuisse. Quoniam igitur in *uenefici* uocabulo explicando etymologos operam lusisse uidimus, agedum aggrediamur id uocabulum ad quod studium hucusque omnino contulisse non uidentur. *Veneni* uocabulo quae similia sint si quaerimus, statim se offerunt haec fere: *aënus* (conferas potissimum, cuius similitudinis benigne me memorem fecit BUECHELERUS, substantiuum *aënum*), *auena*, *catena*, *egenus*, *sacena*, *uerbena*, *se-*

---

exeuntibus cogimur dirimere — qua in re quod dixit ille pg. 466: „[praeter propter inter] drücken in abweichung von den adverbien auf *-iter (-ter)* nicht ein modal-, sondern ein raumverhältnis aus und erscheinen mir darum als rein komparativisch", non perpendit hanc differentiam non minus bene diuersa stirpium quae suffixum antecedunt significatione explicari (u. infra) —, sed etiam facere non possumus quin *aliter* aduerbium ab *alter* adiectiuo diuellamus. Id quam sit improbabile, cum per se apparet quoniam non magis inter se differunt quam uel *aeuitas aetas* uel *laridum lardum* uel *uuidus udus* uel *sacri(fex) sacer(dos)*—male enim *sacrifex* recentiorem prae se ferre speciem censent BRUGMANNUS gr. comp. II pg. 56 et STOLZIUS gr. lat.[2] § 94a — uel alia quae attulit OSTHOFFIUS ipse (pg. 464 sq.) recte explicans, tum etiam certius fit collatis locis huiusmodi:

Plaut. Trin. 46 sq.: *Tui beneuolentis si ita's ut ego te uolo:*
Sin a l i t e r es, inimici atque irati tibi;
Truc. 171: —*longe a l i t e r* (ita codd.) *est amicus atque amator*;
Ter. Phorm. 530: —*ego isti nihilo sum a l i t e r ac fui*

similibus.

Cum ergo alia quaedam explicatio aduerbiorum in *-ter* exeuntium quaerenda sit, de eis quae antea prolatae sunt iusto fastidiosius mihi uidetur iudicasse OSTHOFFIUS pg. 445: „die ältere vergleichende sprachwissenschaft [hat] nur solche hypothesen vorgebracht, die heute ohne weiteres als unbrauchbar erscheinen". Etenim eam, quam unice ueram puto probauitque etiam SCHWEIZER-SIDLERUS gramm. lat.[2] §§ 45, 2a et 238, protulit iam L. MEYERUS gr. comp. II p. 548 sq.: esse illud *-ter* formam aliquam suffixi *-tero-*. Vnicum argumentum quo contra hanc sententiam OSTHOFFIUS usus est (pg. 462): ut e **scandtum scansum* atque e **uert-tus uersus*, sic ex **arrogant-ter* **insolent-ter* similibus **arroganser* **insolenser* eqs. fieri debuisse, facillime labefactatur. Vt alia mittam uelut alternasse linguam indogermanicam suffixa *-ero-* et *-tero-* (u. BRUGMANNUM gr. comp. II pg. 177 sq.) nec minus fieri posse ut illa *amanter insolenter* orta sint lege de *tt* in *s* mutandis

renus. His uero omnibus stirpes in *-ĕs* exeuntes respondere facile est intellectu; sunt autem ex ordine: *aes* = idg. *a̯ies-*; **aues-*, cf. ind. *avasa* (FICK lex. comp. I[3] 502);

abolita, certe is qui ipse in explicatione proferenda non semel in analogiae ui subsidium posuit non negabit analogiam efficere potuisse ut non aliter formarentur *clementer confidenter* eqs. et *amiciter ampliter* eqs. Quod eo probabilius fit, si apud Plautum e. gr. non plus nouem decemue formas inuenimus a stirpibus in *-nt-* deriuatas (*clementer confidenter cupienter diligenter indiligenter insipienter lubenter sapienter uehementer*; *opulenter* frg. 24 W.), at XLII alias (*aliter amiciter ampliter auariter blanditer circiter firmiter largiter maestiter munditer nequiter saeuiter*; *acriter adsimiliter celeriter comiter cruciabiliter dissimulabiliter familiariter fideliter fortiter frugaliter grauiter leniter liberaliter mediocriter molliter perplexabiliter pollucibiliter pueriliter similiter suauiter*; *audacter concorditer dupliciter feliciter ferociter memoriter minaciter pariter perniciter simulter*). Iamque id ipsum quod nulla inueniuntur aduerbia in *-antiter -entiter* exeuntia nostrae fauere sententiae concedendum erit.

Nullam igitur dubitationis ansam forma praebere uidetur; namque de reliquis stirpibus consonanticis modo non mutatis modo ad earum quae in *i* exeunt normam derectis aliisque id genus rebus uerbum unum addere operae pretium non est, neque est cur quod OSTHOFFIUS de illis *inter praeter propter* recte siquid uideo coniecit nominatiuos singularis **praíteros* **própiteros* olim fuisse opinatus, ad reliqua aduerbia transferre et e. gr. *amiciter* ex **ámeicoteros* exortum putare dubitemus. Ad ea quae ipse contulit *uersus aduersus rursus* facili opera alia addi possunt. Velut *deinceps* olim per casus declinari potuisse adscito Paulo F. 71, 2; 75, 4 et legis Aciliae loco (CIL I 198. 79) RUDORFFIUS demonstrauit (u. BRUNSII fontes iur. Rom. anteiust.[5] pg. 69 not. 1), *facul difficul simul* explicari non posse nisi ex formis ueteribus **facolos* (cf. *rex sacrificulus*) **semolos* nondum cognouerunt aliena plerumque molientes ut STOLZIUS gr. lat.[2] § 69, 1.

Nec plus offensionis nostra explicatio uidetur habere, si significationem suffixi spectamus. Etenim satis recte PERSSONUS (stud. etym. pg. 116 sq.) duplicem suffixi *-tero-* significationem quam ponit BRUGMANNUS gramm. comp. II pg. 421 sq. (denotare id ait primum quidem oppositionem inter uocabulum primarium eique contrarium, in uoce ἀγρότερος scilicet τὸν ἀγρὸν oppositum esse τῷ ἄστει, deinde oppositionem inter uocabulum primarium et deriuatum, scilicet τὸν εὐδαιμονέστερον oppositum esse τῷ εὐδαίμονι) in unam ita contraxit: denotare suffixum illud (siue adeo comparatiuum) aliquid ad notionem

**cates-*, quod sane non iam inuenitur nisi in *caternae* uocabulo —id autem formatum est ut *aceruos* ab *acus* uocabulo— [1]); **eges-*, cf. *eges-tas* (HAVET, mém. de la soc. de lingu. IV 86 sq.); **saces-*, cuius forma debilis **sac-s-* exstat in *saxum*, germ. *sahs* (I. SCHMIDT de plur. neutr. form. pg. 204); **uerbes-* = idg. *u̯erdhes-* (VANICEK, lex. comp. ling. lat.[2] pg. 271), cuius in lingua latina aboluit nomina-

---

positiui propius accedere quam tertiam aliquam rem. Hinc lucem accipiunt et *matertera* quae „quasi mater altera" est, certe matris naturae propior quam quiuis alius, quam ad significationem PERSSONUS L. MEYERUM gr. comp. II p. 547 secutus recte Indorum *açvatara* „mulus" contulit, et **amicoteros*, qui ad amici qualitatem propius altero accedit, qui amici more modoque agit, sim.

[1]) Cognatas inter se esse *cateruam* et *catenam* non sine dubitatione iam IORDANUS coniecerat (symb. ad hist. ling. lat. pg. 359). Errat tamen cum eo quod solam radicem *cat-* utrique uocabulo communem esse uolt dirimitque *cat-er-u-a* et *cat-ên-a* tum quod collata glossa *catax: claudus* (LOEWII prodr. pg. 307 sqq.) radici illi opinatae uim uerrendi uel strittandi tribuit, cum **cates*, cui quod simile esset in linguis cognatis frustra quaesiui, potius partem uniuersitatis cuiusdam denotare uideatur. Nec melius se habent quae de *cateruae* uocabulo BERSU (de guttural. pg. 176) commentus est; etenim militare nihil initio habuisse uidetur, quippe quod et histrionum gregi sit impositum. [Haec iam dudum scripseram, cum HAVETUM quoque l. m. de cognatione *cateruae* et *catenae* cogitasse uidi. — Obiter addam errare eos qui ante *u̯* consonantem *s* in *r* abire potuisse dicunt uelut BRUGMANNUS gr. comp. I pg. 428 et STOLZIUS gr. lat.[2] § 64, 4, quamquam hic quidem dubitari non posse putat. Mihi certum uidetur eodem modo *s* litteram ante *u̯* mutatam esse quo ante *f* de qua mutatione postea dicemus. Stabilitur haec sententia eis uocabulis ubi *s* ante *u̯* cum „productione suppletoria" euanuit: *dîuello dîuergo* quae quomodo recentiore tempore quam *Mineruam* et sim. exorta esse demonstrari possit non intellego. Quid de *Minerua furuos aceruos caterua* similibus uocabulis iudicandum sit, luculenter docet *larua* = **lasua*, quod apud priscos poetas *τρισυλλάβως* pronuntiandum esse nemo nescit. Sine dubio etiam in *Minerua* etc. *u* olim uocalis erat, non consonans, quamquam pro re nata e poetis scaenicis exempla nec pro nostra sententia neque contra eam afferri possunt, Lucilius autem *Minerua τρισύλλαβον* esse uoluit (frg. 90 Baehr.). HAVETI librum „cours élémentaire de métrique" (cf. mém. d. l. s. d. l. VI 115 n. 2) doleo quod inspicere non potui.]

tiuus datiuus accusatiuus singularis, usitatissimi sunt reliqui casus (*uerbere uerbera* etc.) exstatque uestigium memorabile in *subuerbustus* adiectiuo de quo Festi nugas ruminari (*subuerbustus ueribus* [*uerubus* Paulus] *ustam significat* Fest. 309, 15 qui Plauti fragmentum u. 255 W. adfert) ne nostro quidem tempore desierunt quasi alia esset huius uocabuli formatio atque *onusti robusti augusti insegesti* (de quo adeas BUECHELERUM in Woelffl. arch. I 113) aliorum quae congessit L. MEYERUS (gramm. comp. II pg. 518 sq.) et *sub* alio modo esset additum atque in sescentis illis adiectiuis ubi notioni deminuendae inseruit; denique σέλας, si uera sunt quae protulit BAUNACK C. st. X 136.[1])

Quibus analogiis si fidem habemus, continet *uenênum* stirpem aliquam *uenes*, quam a *uenere* abstracto, cui Indorum *vánas* respondet, et a dea *Venere* non differre meis argumentis fretus dico. Namque hoc tenendum est primigeniam *ueneni* significationem non eam fuisse qua potio aliqua perniciosa denotaretur. An alia causa ueteres Latinos ductos fuisse putas ut ad hanc exprimendam *ueneni* uocabulo adiectiuum *malus* adderent? Velut lex Cornelia anno DCLXXIII a. u. c. lata (Cic. pro Cluent. 54 § 148; Brunsii fontes[5] pg. 91) haec habet: *quicumque uenenum malum fecerit uendiderit emerit habuerit dederit* et Sallustius (Catil. 11, 3): *auaritia quasi uenenis malis imbuta.* Recte igitur cum Gellio (XII 9. 2) concluderemus: *(periculum etiam et) uenenum (et contagium) non, uti nunc dicuntur, pro malis tantum dicta esse,* etiamsi huius usus prorsus euanuissent exempla quorum ille „multum“ reperiri posse addit. Sed melius nobis consuluit fortuna certa quaedam exempla seruans. Huc *uenena* illa

[1]) *Menênium* quoque si quis collata *Mener-ua* inscriptionum ueterum (eph. epigr. I 21; SCHNEIDERI exempl. 27) et *promeneruandi* uocabulo (Fest. pg. 205, 12) uocabulis quae supra attuli inseruerit, me quidem non habebit dissentientem. *Stercenii* autem apud Seruium (ad Aen. XI 850) prorsus incerta memoria.

referenda sunt quibus apud Plautum (Pseud. 870) Medea senes recoxisse dicitur[1]), huc *uenena* quae apud Afranium (u. 378 sqq. Ribb.) eodem loco habentur quo delenimenta:

Aetás et corpus ténerum et morigerátio:
Haec súnt uenena fórmosarum múlierum;
Mala aétas nulla délenimenta ínuenit.[2])

Iam puto apparere nihil aliud ab initio fuisse *uenena* nisi medicamenta uel uenustatis uel amoris incremento inseruientia.[3]) Hinc postquam ad omnia medicamenta magica transiit uocabulum, cuius usus complura exempla suppeditant lexica, fere necessitate quadam euenit ut de perniciosis quoque potionibus adhiberetur.[4])

---

[1]) Neque infringitur haec opinio eo quod ibi comice Pelias pro Aesone nominatur; immo ipse hic iocus aptissimus est ad duplicem uocabuli naturam probandam. Cf. MURETUS uar. lect. VI 10. Praeterea apud Valerium quoque Flaccum Medea uulneribus *uenena* adhibet (VI 276).

[2]) Periculosum duco posteriorum poetarum exempla afferre, cum haec quidem metaphorae cum nostris poetis tum italicis *(veleno)* notissimae qua amor reuera uirus dicitur deberi posse uideantur. Velut apud Silium (VII 451 sq.) si Venus dicit: — *paruis*
Si mea tela dedi blando medicata ueneno
ipso adiectiuo apposito locum nostrum in usum conuertere uetamur.

[3]) Vtram in sententiam inclinem, dubius haeret animus. Ac *uenustus* quidem et *uenustas* et indici *vánas* significatio quae est unico loco ubi absolute ponitur (R.-V. X 172. 1 de Aurora: *á' yâhi vánasâ sahá*, quo loco *tejas* uel *dhana* explicat Sâyaṇa) priori fauent; compositum uero *yajña-vanas* „sacrificia amans", stirps in *-a* exiens *vana-* „desiderium" et radicis *van* ipsius, quam non inueniri nisi in prisca Indorum lingua adnotant lexicographi Petropolitani, significatio „auere optare desiderare" posteriori. Quocumque modo de hac re iudicabis, hoc unum Indorum uocabulis comparatis pro certo habeto latinum quoque uocabulum *uenus* abstractum fuisse antequam deae imponeretur, neque igitur etymologiae nostrae obstare, quod apud uetustissimos Romanorum scriptores Venus hortorum deae munere fungitur.

[4]) Non iniucundum est adnotare uocabulum denique hanc ultimam significationem solam retinuisse primamque adeo in obliuionem uenisse ut Marcianus ICt. dicere potuerit (Dig. 48, 8, 3): *Quod amatorium appellatur, uenenum est.*

Eis quae de *ueneno* disputaui *uenefico* et *ueneficio* quoque nouam lucem affulgere puto. Nam cuiusmodi hucusque compositum in lingua latina desiderauerunt grammatici (uid. e. gr. SCHROETERUM, quas formas nomin. them. sigmat. in uoc. comp. graec. induant pg. 8) cuius membrum prius stirpem in *-es* exeuntem non mutatam exhiberet ad indicorum *vacas-kara*, *ayaḥ-sthûṇa*, graecorum ἐγχέσ-παλος ἐπεσ-βόλος sim. exemplar, eiusmodi compositum quominus *ueneficus* agnoscatur uix restat quod impediat. Ac primum quidem *uenefici* et *ueneficii* uim primigeniam seruatam uidemus cum aliis locis tum apud Ouidium in heroid. VI 150: — *uultus*

Quos— ueneficiis abstulit illa (Medea) *suis*

et apud Senecam in epist. IX 6: *ego tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine herba, sine ullius ueneficae carmine*; hinc ad omnes magos transierunt, denique in malam partem sunt adhibita. Deinde uero quod ad sonos attinet, sane aut exorta non esse uidentur, antequam radicis *dhê* consonans initialis in *f* abierat, aut euidentia etymologica quam dicit ASCOLI (epist. linguist. pg. 82 sq. uersionis germanicae) ut in aliis compositis de quibus dixi libri de nominum latinorum compositione § 21, 1 sic in hoc effectum esse, ut eodem modo mutaretur posterioris membri initialis littera quo totius cuiusque uocabuli.

Iamque nil ultra uidetur addubitari posse nisi num *s* littera ante illud consonantium genus quod *tönend* dicere consueuimus euanuerit cum uocalis antecedentis productione quam uocant suppletoria. Erunt enim fortasse qui dicant refragari huic sententiae *differo diffindo difflagito* [1])

---

[1]) Vocabulum lexicis ignotum olim restitui uersui Epidici Plautinae 118., quod paucis hoc loco defendere in animo est. Traditur:

Quin edepol egomet clamore differor diffatigor,

in quibus uolgo ut uersus recto stet talo postrema duo uocabula locum mutare iubent. Sed quam in ἅπαξ εἰρημένῳ *diffatigor* uim habeat praeuerbium *dis-*, enucleare non possum neque enucleasse mihi uidetur E. NEUMANN in dissertatione Ienensi (1885) „de compos. a *DIS* incip.

alia a *dis-* particula et *f* littera incipientia; erunt qui dicant uiolari legem a IOH. SCHMIDTIO (KZ XXVII 328, cf. librum de plur. neutr. form. pg. 145 in not.) inuentam qua *s* litterae inter uocalem accentu carentem et illud consonantium genus sine productione suppletoria iactura facta esse dicitur. Ego uero tantopere etymologiae quam protuli confido, ut uel inde argumentum contra priorum illorum aduersariorum opinionem petere non dubitem et nullam aliam rationem inter *differo* et *uenêficus* uocabula intercedere arbitrer quam e. gr. inter *cûpa* et *cuppa*, *Iûpiter* et *Iuppiter*, *lîtus* et *littus*, de quibus adeas SEELMANNUM (de pronunt. pg. 96), OSTHOFFIUM (ad hist. perf. pg. 559), STOLZIUM (gr. lat.[2] § 40, 3). De lege Schmidtiana uero non sine causa dubitationem mouisse mihi uidentur BRUGMANNUS (gr. comp. I pg. 429) et THURNEYSENUS (KZ XXX 489). Ac primum quidem abicienda est SCHWEIZER-SIDLERI sententia (gr. lat.[2] § 42 n. 2) qui *terrificus horrificus* similia secundum legem Schmidtianam e **térresficus *hórresficus* exorta esse uolt. Qua in re ut SCHMIDTII mentem assecutus non est — is enim de secundaria Latinorum accentuatione sola iudicium tulit ut exempla ab eo allata *Căména prŭína* satis demonstrant — ita ne nobis quidem audiendus est, quandoquidem *terrificus horrificus* sim. iam diu ab aliis explicata sunt uicissitudine stirpium quae in *-o-* et *-es-* exeunt recte adhibita. Videas G. MEYERUM C. st. V 66 sq., BRUGMANNUM gr. comp. II pg. 58 et quae ipse exposui de nom. lat. comp. § 29, 4; 31, 11 b.

Quamquam ipse SCHMIDTIUS non satis sibi constitit— quam rem OSTHOFFIUS quoque indicauit (ad hist. perf. pg. 571) — praeter *Caménam* et *pruínam* formas *uidĭmus*

---

ui et usu" pg. 7 et 31. Lectionem quam propono *differor difflagitor* probare non dubitabis, si contuleris locos hosce: Curc. 683: *clamore hominem posco* et Pseud. 555 sq.: —*si non dabis Clamore multo et multum flagitabere.*

et *sēdĭbus* suum in usum uocans quas e **uidezmus* et **sēdezbus* exortas esse dicit. Haec quam male coeant ut mittamus, iam restat grauissima dubitatio, quae quomodo tolli possit non uideo: debebat certe ut e **sēdezbus sēdibus* ita ex **aeznus* **catezna* fieri **ăĭnus* **cătĭna*. Ac ne quis forte *aênus* et similia posteriore mutatione sonorum quam *sedibus* exorta esse dicat, conferat formam umbricam a h e s n e s qua quam uetus sit hoc uocabulum docemur. Plane eisdem argumentis adhibitis corruont quae W. MEYERUS (KZ XXVIII 167 sq.) protulit ad IOH. SCHMIDTII sententiam restringendam et stabiliendam. Etenim quod dicit duplicatione consonantium quae est in **frigez-dus* non esse impeditum quominus accentus ad tertiam usque a fine syllabam recederet, esse impeditum triplicatione quae est in genetiuo **frigezdnis*, ne hoc quidem uerum esse iterum *uenênum catêna* alia in *-êno-* exeuntia quae supra attulimus demonstrant.[1])

[1]) Satis habeo SCHMIDTII rationem in uniuersum refutasse; nouam ad singulorum exemplorum explicationem uiam ingredi longum est. Ad pers. 1. plur. perf. et aoristi sigmatici nec minus ad datiuum pluralis stirpium in *-i-* et *-es-* exeuntium quod attinet, dubitauerim num formis prorsus congruentibus effectum sit ut systemata illa in unum coirent; puto enim similibus quoque effici potuisse quod de nominibus illis THURNEYSENUS quoque concedit (KZ XXX 489). Namque in his transitionis causam fuisse quod **sédes-es* genetiuus per dissimilationem syllabicam abire potuerit in **sedes* > *sedis* qui conicit, uix habet quo hanc coniecturam tueatur. — *Corpulentus* adiectiuum porro non in compositione solum, sed in deriuatione quoque analogiam stirpium in *-o-* exeuntium praeualuisse docet, cuius rei unum hoc exemplum praeterea affero adiectiua graeca *-ιτη-* suffixi ope efficta uelut *ἐθνίτης ἐρκίτης καρφίτης πελαγίτης*. Eodem modo igitur, ut Plautina exempla sola adhibeam — plura suppeditabit BECHSTEINIUS C. st. VIII 371 sqq. —, *frustulentus lŭtulentus mustulentus uinolentus* (*temulentus* addit Terentius) exemplaria sunt horum: *bucculentus turbulentus, pisculentus luculentus truculentus, opulentus fraudulentus,* quibus *corpulentus* quoque accessit. In uocabulis *Cămena* et *prŭina* (addas etiam *ŏmitto* et similia) ne ipse quidem praefracte negauerim accentuatione secundaria effectum esse ut uocales praetonicae corriperentur secutus CORSSENUM (de pronuntiat. uol. II pg. 515) et SCHMIDTIUM ipsum (ad hist. uocalismi idg. I 105).

II.

Non probiora quam de *ueneno* et *uenefico* de aliis quibusdam uocabulis in *-êno-* exeuntibus excogitauerunt grammatici. Sunt autem adiectiua *alienus terrenus* et nomina propria (gentilia et cognomina): *Aienus* CIL I 1285; *Allienus* praetor a. u. c. DCCV; *Auienus* poeta; *Auillienus* CIL IX 4062 sq.; *Bellienus* (*C.* et *L. Annius B.* saepius commemorantur apud Ciceronem, u. HUEBNERUM in I. Muelleri encyclopaed. I 512); *Catiena* Iuuen. III 133, *Fadienus* CIL III 2079 (HUEBNER. l. m. pg. 515); *Labienus* Caesaris legatus; *Longidienus* inscr.; *Lucienus*; *Nasidienus* Horat. sat. II 8; *Pullaiena* CIL VI 15382; *Saluidienus* CIL VI 10243, X 769; *Staienus* iudex aetatis Ciceronianae; *Vatiena* Laeuii frg. 28 Baehr., quibus nonnulla addi possunt ex eis quae MOMMSENUS congessit (de Ital. inf. dial. pg. 362 in not.), multa ex corporis inscr. lat. indicibus. Triplicem ad haec explicanda uiam ingressi sunt uiri docti: aut enim formationes aricas in *-aina* (ind. *-ena-*, zd. *-aẹna-*) in comparationem uocauerunt *ê* uocalem in formis illis latinis ex *oi* uel *ai* diphthongis exortam esse rati (BRUGMANNUS gr. comp. II pg. 151 n., STOLZ gramm. lat.[2] § 115) aut ad stirpem quandam *ali̯ĕ-* (STOLZ l. m. § 78, 3) aut ad instrumentalem **aliê* (PER PERSSON studia etymolog. pg. 11, 85; IOHANSSON BB XIV 172) legentes relegarunt. Haec omnia quam non recte sint excogitata, non melius docere posse mihi uideor quam si quid rectum sit paucis exposuero. Proficiscendum autem esse

existimo in hac quaestione soluenda a uocabulo simillime comparato *laniêna*. Qui hoc uocabulum explicandum sibi sumpserit, ei primum quidem auctor sum ut a *lanione* adhibendo [1]) abstineat, nam *lanienam* iam Plautus nouit (Epid. 199), *lanio* autem quantum scio ante Petronium non inuenitur. Inuenitur *lanius* quod ipsum Plautinum est ut huic potius quam illi quin *laniena* cognata sit dubitari non possit. Iam officinae et opificio certi cuiusdam opificis denotandis quod suffixum inseruiat si quaerimus, occurrit nobis suffixi *-îno-* forma feminina cuius haec habeas exempla: *artificina aurificina carnificina causidicina doctrina ferratrina* (Nonius pg. 69, 20; Woelfflini arch. III 134) *figulina furatrina haruspicina iuridicina lapicidina medicina moletrina mulomedicina pistrina popina sutrina textrina tonstrina uestificina.* His *lanienam* quoque inserere ne tantulum quidem dubito ut ex **lani-îna* exortam quippe cui quod aliud suffixum inesse possit non uideam. Dissimilationis uocalium quam usu uenisse sumo exempla prorsus similia sane non exstant, [2]) sed notissima est *i* duarum breuium dissimilatio, quade dixerunt STOLZIUS gr. lat.² § 29 et FROEHDIUS BB XIV 113, in illis *abietis arietis uariegare hietare* et nominibus suffixorum *-itat-* et *-itudin-* ope formatis [3]) obuia.

---

[1]) Quo spectare uidentur quae ariolatus est FISCHIUS in Woelfflini archio V 74.

[2]) Nimis enim incerta quae de *capiês audiês* formis dubitanter profert BRUGMANNUS gr. comp. I § 81 n. 3.

[3]) Etenim in longe paucissimis huius generis uocabulis tibi persuadere possis subesse *e* uocali *o* litteram debilitatam, quandoquidem prisca latinitas non habet nisi *pietas satietas insatietas* (atque haec quidem Plautina), *societas* (Cato Enn.), plura Ciceroniana demum aetas procreauit atque *Appietas* et *medietas* quidem Cicero ipse, *ebrietas sobrietas proprietas uarietas* nescio quis, longe maximam partem sequior aetas, scilicet *nimietas* Apuleius, qui et *medietatis* uocabulum a Cicerone dubitanter imitando e graeco *μεσότης* expressum liberius adhibuit (cf. WOELFFLINUS arch. III 459 sqq.), *anxietudo* autem *associetas dimidietas dubietas filietas obnoxietas saucietas serietas uicarietas* quartum demum

Prorsus eodem modo exortum est *aliênus* ex **ali-înus*. Est autem *alienum* primum quidem quod alîus cuiusdam

---

et inferiora saecula. — Non alienum hoc loco duco quae de simili quodam dissimilationis genere inuenisse mihi uideor adiungere, dissimilationem uocalium *ĕĕ* dico cuius sane non plus unum exemplum mihi innotuit. Agitur autem, quoniam antiquitus *ĕĕ* in *ê* coaluisse constat, de exemplo in historica demum quam uocant latinitate ita exorto, ut stirpis cuiusdam *ĕ* uocali suffixum *-ĕo-* adiungeretur. Legitur enim in Plauti Casina II 8. 58: *Hordĕias?* § *Immo triticeias, si sapis,* quode a nullodum ad amussim disputatum esse uideo. Atque hoc primum apparet *triticĕĭus* (de quo futtilia profert GEORGES) iocose aptatum esse ad antecedentis adiectiui exitum; hoc ipsum autem me iudice formatum est ut *aur-eus argent-eus,* dissimilatione uero ex **hordĕĕus* euasit *hordeius.* Ac ne quis mihi obiciat suffixum uocabuli *hordeius* potius esse *-io-* quam *-eo-,* accipiat Plautum certe suffixi *-io-* ope adiectiua non deducere nisi ab animalibus aut terris aut abstractis (ut enim mittam partim uetera partim obscura uocabula *alius ebrius eximius medius Oppius Papirius pius propitius proprius saucius serius uarius* haec sunt primi generis: *auia patrius regius sororius*; *Lauernius Neptunius Venerius*; *amatorius deuorsorius mercatorius naugatorius praedatorius pugilatorius sudatorius tectorium uorsoria; meretricius; alcedonius Ballionius cauponius fullonius lenonius*; haec uero secundi, in quibus quae graecae sint originis non semper diiudicari potest: *Aegyptius Arabius Babylonius Ephesius Epidamnius Hilurius Lemnius Lesbius Rhodius Samius*; haec autem tertii: *Fidius* [a *fide*] *ludius noxius*), *-eo-* autem ubique ad materiam denotandam adhibere (*aheneus? aethereus? argenteus aureus bliteus caudeus cereus faeceus ferreus floreus herbeus iunceus laneus lapideus laureus ligneus linea loreus lŭteus lûteus meruleus* [Poen. 1289, deest apud GEORGESIUM, dubitat nescio quamobrem qui addenda lexicis congessit in Woelfflini archio III 260; etenim ut persaepe adiectiua proprie materiam designantia colorem quoque indicant (cf. *anser argenteus, uuae aureae*) sic hoc loco a *merulo* siue *merula,* quam auem raro non nigram fuisse e Varrone r. r. III 9, 17 cognitum habemus, deriuatur *meruleus* ad nigrum colorem denotandum] *oculeus plumbeus plumeus pugneus pulmoneus pumiceus purpureus scirpeus stagneus* (frg. 246 W.) *stercoreus stimuleus uerbereus uineus ulmeus*; reliqua aut peregrina aut dubia sunt: *aranea caeruleus Philippeus Herculeus*; quod unum superest, *testudineus* (*gradus* Aulular. 49), sane **testudinium* potius esse expectaueris, at illi quoque formae ex analogia reliquarum in *-ineo-*, de quibus alio loco dicetur, satis ueniae paratum.

proprium est uelut— ut iterum Plautina exempla sola adhibeam — *aquilînae ungulae* (Pseud. 852) sunt ungulae aquilarum, *agninae lactes* (ib. 319) sunt lactes agni, *colubrînum ingenium* (Truc. 780) ingenium colubrarum alia. Itemque *alienum aes* est aes aliorum, *aliena domus* (Mil. 1168 al.) est domus alîus, tacet Periplecomenus *quom alienast oratio* (Mil. 647) i. e. quom alius loquitur, neque *alienum scortum* i. e. alîus *subigitat* (ib. 649); *alienis seruis* opponuntur *nostri* (ib. 431) uel *familiares* ut *fundo alieno familiaris* (Asin. 874). Iam igitur a seruo ad alios transfertur quicumque in familiam non suam, domum non suam ueniunt uelut *cum alieno adulescentulo* osculatur Philocomasium (Mil. 264, 338 al.), apud Epignomum *cenant alieni nouem* (Stich. 487),[1]) amico dicitur: *Quor—ante ostium pro ignoto alienoque adstas? I intro: haud alienus tu quidem's* similiterque alteri ante ostium moranti: *Alienun es qui non extemplo intro ieris?* (Truc. 176, 665). Quocirca quae res cum aliis non coeunt, eae quoque translate *alienae* appellantur: admittunt amantes *aliena a bonis* (Mil. 1288), occipit aliquis *quaestum alienum ingenio suo* (Capt. 99), amat senex *aetate aliena* (Cas. III 1, 4). Hinc quomodo ceterae uocabuli significationes fluxerint facile est intellectu, a Plauto utique alienae sunt, ut, quod Poenuli alterius exitus uersus XXI. habet: *litis sequar in alieno oppido*, sufficiat ad demonstrandam originem non Plautinam; Plautus ipse non *alienum*, sed *aliud oppidum* dixit (ib. 560).[2])

---

[1]) Male GEORGES (lex.[7] I 287) intellegit exterae nationis homines quos Plautus *peregrinos* dicit dixeruntque, ni fallor, omnes optimi aeui scriptores. Certe usus Terentianus Plautino prorsus est congruos. Cf. e. gr. Ad. 89: *in aedis irruit alienas*, Eun. 399: *labore alieno partam gloriam*, Ad. 75: *potius — Sua sponte recte facere quam alieno metu*; deinde uero Hautont. 1028 ubi Clitiphoni de parentibus dubitanti mater dicit: *Obsecro—ne istuc in animum inducas tuom Alienum— esse te*, Ad. 450: *id illi nunc dolet Alieno, pater-nili pendet;* denique translate dicitur: *humani nil a me alienum puto* (Haut. 77) etc.

[2]) Nec minus contra Plauti morem factum esse ut *sequi* meta-

His expositis non est quod metuam, ne quis in nominibus supra allatis explicandis alia moliatur, quae ego quidem ad *Aium*, *Allium*, *Auillium* CIL IX 3086 al., *Duellium*, *Catiam* Hor. sat. I 2. 95, *Fadiam* CIL III 2079, *labium*, *Lucium* etc. et idem illud suffixum *-îno-* reuocare non dubito, ut pote in quibus omnibus *ê* uocalem praecedat *i.*[1]) De suffixo *-îno-* in nominibus et cognominibus adhibito adeas HUEBNERUM l. m. pg. 509 et 516.

Superest igitur e uocabulis quae initio huius capitis enumerauimus *terrenus* solum. At ne hic quidem probari posse si quis diphthongum ueterem *ê* uocali subesse putat,[2]) eo efficitur quod *terrenus* haudquaquam e uetustis linguae latinae uocabulis est. Habemus enim exemplum nullum Plautinum Terentianum Catonianum Cornificianum, nullum Ennii Lucilii reliquorum poetarum ueterum, nullum historicorum inscriptionumue usque ad annum LXX a. Chr. n., sed quae ego noui uetustissima Caesariana et Ciceroniana sunt;[3]) *subterrenus* Apuleius, *superterrenus* Tertullianus inuenere. E quo elucet, quoniam e stirpis *terrǎ-* cum suffixo aliquo conglutinatione per sonorum mu-

phorice adhiberetur, demonstrauit LANGENUS symb. ad crit. et interpret. Plaut. pg. 218, stud. Plaut. pg. 353.

[1]) Scilicet diuersa ab his sunt *Alfenus Varenus* alia sabina (HUEBNER pg. 509).

[2]) Reicula est HAVETI sententia (mém. d. l. s. d. l. IV 86), licet eam SCHWEIZER-SIDLERO (gramm. lat.² § 18, 13) probauerit, exstitisse olim stirpem in *-es-* exeuntem **terres-*, a qua et *terrenus* et *terrestris* descendant. Scilicet e *terrestris* non magis colligi potest eiusmodi stirpem olim in usu fuisse quam uel **silues-* e *siluestris* uel **agres-* ex *agrestis*.

[3]) Quas igitur bestias *terrenas* uocat Cicero (de nat. deor. I 37. 103), eas Plautus nominat *terrestres* (Cpt. 189, Pseud. 835) itemque Cornificius rebus *maritimis* opponit *terrestres* (IV 48. 61). Dis *caelestibus* contrarium esse uolt hominem *terrenum* Horatius (od. IV 11. 27), at *terrestrem* Plautus (Pers. 100). *Terrenum* tumulum dixit Caesar, at murus „Seruianus" *terreus* uocabatur (Varr. de l. l. V 48).

tationem hac aetate non iam euadere potuit[1]) uocabulum ex alius cuiusdam analogia confictum esse. Neque ego aliud noui quod similiter comparatum sit praeter *aênus*, quandoquidem neque aliae formae in *-êno-* exeuntes quas supra congessi neque quae praeterea inueniuntur exemplaris loco fuisse possunt.[2]) Vt autem coniecturam meam

---

[1]) Non his solum, sed etiam eis temporibus quae antecedebant et quae sequebantur ante suffixum *-îno-* et *-ĭno-* ă uocalem stirpes utique elidebant. Cuius rei haec fere sunt exempla (atque hic quoque Plautina primum affero, dein reliqua addo): *Aeacidinus* Asin. 405, *aquilinus, clurinus* Truc. 269, *formicinus* Men. 888, *gerrinus* Epid. 233, *lapicidinae, noctuinus* Curc. 191; *mustelinus* addit Terentius Eun. 689, *uiperinus* Accius, *femininus* Titinius; *columbinus, Cunina* dea, *ricinus* (a *rica*), *tablinum* Varro al.; *Iugurthinus Petrinus Sibyllinus* Cic. al.; *cisterninus* Columella Seneca alii; *cucurbitinus nitellinus scrofinus uaccinus* Plinius al.; *amitinus* Gaius; *molinus* Tertullianus; *lucerninus* testam. porcelli; *cloacinus* Augustinus; *rutinus* Cael. Aurel.; *talpinus* Cassiodorius; *Vercellinus* inscriptiones; adde et *Agrippinam* et *Messallinam*. Suffixum *-ĭno-* autem post stirpes in *-a* exeuntes non saepius quam bis terue me inuenire memini: *cerinus* Plinius exhibet, *blattinus* Eutropius, *hastina* corrupte Eutyches grammaticus apud Cassiodorium pg. 202, 11 K., recte (*h.* *δόρυ ἀκόντιον*) glossae „Philoxeni".

[2]) Sunt enim, ut de adiectiuis localibus haud paucis quae e graeco sermone mutuati sunt Latini uelut *Abydenus Amisenus* similibusque uocabulis peregrinis (uelut *lampena* Placid. = *λαμπήνη*, cf. ROENSCH in Fleckeis. annal. 119 [1879], 534) nec minus de numeralibus distributiuis taceam, quaedam de quorum etymologia nihil constat scilicet *surenae* conchylia, quod uocabulum latinum esse fidem facit Varro de l. l. V 77, et *galena*, quaedam alia in quibus certe *ê* unde originem habeat nondum exploratum est: *Camena, harena* quod ceteroquin bene interpretatus est FICKIUS (lex. comp. I[3] 160), *habena cantilena antilena postilena* et *pullicenus* (Lamprid.), quod tamen *pullicinus* potius fuisse lingua italica docet (GROEBERUS Woelffl. arch. IV 452). Itemque *crumena* forma proba non est, sed *crumina*, quode conferas GEORGESII lex. form. lat. pg. 181, ubi tamen praeter duodecim locos Plautinos, quos facili opera in RASSOWII indice inuenies quibusque uno excepto (Truc. 652) codices primarii ubique *crumina* exhibent, Pauli quoque epitomatoris pg. 60, 10 (= frg. Plaut. u. 232 W.) desidero. Ibi quoque codices *crumina* habent, quae forma stabilitur deminutiuo *crumilla* (Plaut. Pers. 687).

probabiliorem reddam, addo primum quidem ex analogia uasorum *aenorum* facile uasa *terrena* formari potuisse et similia, tum uero ut *aenum* sic *terrenum* quoque saepe substantiui munere fungi siue quo unum illud ex elementis siue quo ager uel humus designetur, quae significatio hodiernis quoque temporibus in lingua italica manet (*terreno*).

III.

Auximus modo nouo incremento numerum uocabulorum suffixi *-îno-* ope formatorum: iam uices referendae et pauca quaedam demenda erunt. Videntur enim primo obtutu inter uocabula illa referenda esse deorum ueterum nomina aliquot, scilicet *Iugatinus* in quo deo Iuppiter ipse *coniuges iungit* (August. de ciu. dei IV 11 pg. 161 Domb.², cf. et VI 9 pg. 264: *cum mas et femina coniunguntur, adhibetur deus Iugatinus*), *Potina* qua in dea *paruulo — potionem ministrat* (idem ib. loco priore), *Statina* cui deae infantes commendantur cum primum stant (Tertull. de anim. 39), *Volutina* quam deam *inuolumentis folliculorum praefecerunt* (August. l. m. IV 8 pg. 155 sq.). Sed si inesset his omnibus suffixum *-îno-*, non possunt deriuata uideri nisi aut a participiis perfecti *iugatus potus status uolutus*[1]) aut ab abstractis in *-tu-* (*potus status*) aut in *-ti-* (cf. *stati-m*) exeuntibus. Quarum trium rationum recta esse nulla potest, siquidem nullo demonstrari potest exemplo umquam suffixum illud aut ad participium per-

---

[1]) Est haec GRASSMANNI KZ XVI 111 sq. sententia, qui de alio quoque nominum in *-îno-* exeuntium genere falsa protulit. Scilicet *Meditrina* non a neutro **meditrum* nomen habet, sed ut a nominibus agentis masculini generis *satore* **tacitore plausore* suffixi *-no-* ope deriuantur *Satur-nus tacitur-nus* **plausur-nus* et inde *Plausurnius* cognomen (CIL VI 10387 XIV 3664), sic a feminino **meditrî* „sanatrix" *Meditrîna*. Eadem igitur in hoc uocabulo uis est uocalis *-î-* quae in *genetrî-c- radî-c- cornî-c-* aliis (cf. I. SCHMIDT libri de plur. neutr. form. pg. 61) id quod iam CORSSENUS uoc. II² 522 uiderat.

fecti aut ad abstractum accessisse. Secunda ratio praeterea eo quoque refellitur quod a stirpibus *-u-* uocali terminatis suffixi illius ope nulla deducuntur adiectiua nisi quae in *-uîno-* exeant cuius rei haec sunt exempla: *genuînus* dens (cf. CURTIUM etym.[5] pg. 307 sq.), *ueruîna* (Plaut. alii), *pecuînus* (Cato alii); fortasse *aruîna* quoque cum *(h)aru-spice* cognata est. *Aduentînus* autem *ab aduentu hominum* etsi recte apud Varronem de ling. lat. V 43 contra codicem optimum legi uidetur, tantum ad Auentini collis nomen explicandum excogitatum est.[1])

Quid igitur uerum sit illorum uocabulorum ueriloquium, si quaerimus, non mediocriter nos adiuuant quae de uariis uocalium in suffixi *-iên-* siue *-iôn-* gradibus exposuerunt BRUGMANNUS gramm. comp. II § 115 imprimis pg. 338 et STREITBERGIUS in Pauli et Brauni symbolis XIV 209 sqq. Attamen neque illi nec STOLZIUS gramm. lat.[2] § 77, 5 pg. 327 formas debiles, in quibus suffixi forma est *-în-*, in Italia inuenerunt nisi apud Vmbros et Samnites; nos autem, quoniam aliae explicationes nominum illorum diuinorum minus bene successerunt, non iam dubitabimus quin in his formae debiles ad illum modum comparatae nobis seruatae sint, et ad *iugationem potionem stationem* et uocabulum deperditum **uolutio*[2]) ea reuocabimus. Aptissime igitur illis *Potîn-a Statîn-a Volutîn-a* comparatur graec. *δωτῖν-η* ualetque haec ratio pro portione

umbr. tribřiçu: *tribrisin-ſe* = lat. *statio*: *Statîn-ſa* (cf. osc. statíf = **statin-s*).[3])

---

[1]) Africi homines sane etiam cognomen *Aduentina* effinxerunt (CIL VIII 3939).

[2]) Exstant a compositis deriuata haec: *euolutio inuolutio obuolutio reuolutio,* quae tamen fere infimae latinitatis sunt.

[3]) Nominibus quae attuli alia fortasse addi poterunt uelut *Libitinam* ad abstractum **libitio* et *Sentinum* „sensificatorem“ „qui sensum puerperio largitur“ (August. ciu. dei VI 2 sq. pg. 275 Domb.) ad abstractum **sent-iôn-* (cf. *sensim* = **sent-ti-m*) redire mihi non nimis

Hic fortasse quispiam: Actum est de tua, inquiet, explicatione; quod enim tu negas suffixum *-īno-* ad abstracta umquam accessisse, eius generis exemplum iam dudum a FROEHDIO BB I 195 inuentum est *festīnus* ad abstractum *festi-* quod habes in *confestim* uocabulo rediens. Cui ego respondebo FROEHDII sententiam nullo modo probari posse. Etenim cum uolgo inter uerbum *festinandi* et adiectiuum *festinus* eam rationem intercedere sumant ut deriuatum sit uerbum ab adiectiuo, ego e contrario hoc contendo adiectiuum e uerbo fluxisse. *Festinare* enim iam priscae latinitatis scriptoribus notum est (legitur e. g. Plaut. Cas. IV 1. 5, Enn. trag. 395 Ribb.; *festinatim* Pompon. com. 13), *festinus* autem a Vergilio demum formatum est.[1]) Est igitur inter exempla illa retrogradae deriuationis de qua diximus libri de nominum latinorum compositione § 1, 3, ubi multa eius generis congesta inuenies quibus tamen sescenta alia addi possunt. Velut — ut paucula saltem hoc loco delibem—*oblitterus* Laeuius (apud Gellium XIX 7. 4 = frg. 9 Baehr.) finxit ex *oblitterandi* uocabulo,[2]) *condensum* Lucretius Vergilius Liuius dixerunt a *condensando* (Varr., bell. Afric.), *praediuinum* Plinius maior a *praediuinando* (Varro, alii), *deproperum* cod. Theod. a *deproperando* (Plaut. al.), *concrispum* Isidorus a *concrispando* (Vitruu. Ammian.), *reprobam* pecuniam ICti. aliique quasi reprobatam. *Administrum* Varro et Cicero deriuarunt ex *administrandi* uocabulo (Plaut. al.) itemque *associum* Martianus Capella et Cassiodorius ab *associando*

---

improbabile uidetur; certe a uerbo *sentiendi* male deriuari *Sentinum* a GRASSMANNO l. m. ex eis quae supra demonstrauimus apparet.

[1]) Sane in Titinii uersu 103:

— *nunc haec res me facit festinem*

Nonius (pg. 482, 31) adiectiuum *festinis* inesse uoluit, sed is quo solet stupore coniunctiuum pro accusatiuo habuit.

[2]) Non minus igitur de adiectiuo errauit CORSSENUS uocal. II² 521 in not. quam quos merito reprehendit DIEZIUS gramm. rom. II³ 141 (= ⁴ 153) et SCHUCHARDTIUS uoc. uulg. II 386.

(Statius al.).[1]) Ante omnes autem Vergilio haec formandi ratio grata fuit; is enim praeter *festinus* adiectiuum non solum ea uidetur finxisse quae l. m. attuli *enodis* ab *enodando* (Cato Enn. Acc.), *rebellis* a *rebellando*, sed haec quoque: *accommodus* ab *accommodando* (cf. VHDOLPHIUM, de lingu. lat. uocab. comp. pg. 29), *anhelus* ab *anhelando* (Cornif. Cic.), *resupinus* a *resupinando* (Ter. Phorm. 863, Acc. trag. 135).

Nec dubium est quin idem ille Vergilius eodem modo aliud quoque uocabulum conformauerit quod item adiectiui suffixi *-īno-* ope formati speciem refert. Inuenimus enim apud L. MEYERUM (gr. comp. II pg. 17), FICKIUM (lex. comp. I[3] 489, II[3] 17), VANICEKIUM (lex. etym. lat.[2] pg. 16) alios redire uerbum *opinandi* ad formam quandam *opīno-*; eam autem in lingua latina non iam superesse nisi in uocabulis compositis *in-opinus* et *nec-opinus*. Quod mihi quidem non probatur. Nam ipsum illud *inopinus* Vergilius primus adhibuit a quo praeter Ouidium et Valerium Flaccum Tacitus quoque et Plinius minor assumpsere, cum Ciceronis et priorum sermo non habeat nisi *inopinatus*, nec uetustius est *necopinus* quod Ouidius tantum, Phaedrus et Statius pro *necopinatus* Ciceroniano et Liuiano usurparunt.[2]) Nulli igitur dubitationi potest esse obnoxium quin haec quoque duo uocabula retrograda deriuatione e uerbo demum exorta sint nec melius L. MEYERUS aliique quos su-

---

[1]) Attuli l. m. etiam exempla retrogradarum deriuationum quae quod ad formam attinet eis uocabulis pares sunt a quibus uerba denominatiua originem deducunt, quod ad sententiam ab eis differunt. Eius quoque generis exemplum hoc loco addere placet. Legimus apud Ouidium art. amat. II 712: *lassus ab hoste.* Est igitur *lassus* sententia quidem idem quod *lassatus*, at forma ab eo uocabulo unde *lassare* deducitur non distat.

[2]) Eandem fere rationem intercedere inter *eneruatus* et *eneruus* *(eneruis)* uocabula quorum prius solum Ciceronianum et Liuianum est, posterius Valerii Maximi, Petronii, Senecae, Plinii, aliorum monui loco iam saepius laudato.

pra nominaui egerint quam si quis e. gr. Cypriani et Commodiani uocabulum *lupâna* „meretrix" a *lupa* suffixi *-âno-* ope deriuatum esse dicat, quod e prisca uoce *lupanar* demum fluxisse nemo non uidet. Quodsi umquam adiectiuum **opînus* exstitit, quasi auos erat compositorum *in-opinus, nec-opinus.*

At ne poterat quidem exsistere quantum ego uideo. Etenim si deriuatum esse dicitur a uerbo **opîre* (VANICEK l. m.), male ita dici eo efficitur quod nec suffixum *-no-* ad uerba denominatiua nec suffixum *-îno-* ad ullum uerbum umquam accessit.[1]) Nec magis ab abstractis praecedi potuisse supra uidimus.

Quoniam igitur alia explicatio et *festinandi* et *opinandi* quaerenda est, spero non nimis improbabile fore si hic quoque formam debilem abstractorum in *-ien- -iôn- -în-* exeuntium subesse coniecero. Vt enim sibi respondent *stati-(m)* et osc. **statin-s* lat. *Statîn-a* et *statiôn-(em)*, sic nihil obstat quominus olim praeter stirpem *festi-* in *confestim* etiam alteram in hunc modum Romanos formasse sumamus: **festiôn- *festîn-*. A qua forma debili ego uerbum *festinandi* originem duxisse censeo; non raro enim a stirpibus consonanticis deducuntur uerba denominatiua primae coniugationis. Cuius rei cum multa alia exempla inuenies apud L. MEYERUM gramm. comp. II pg. 13 sq. (cf. et FROEHDIUS BB VII 102 et BERSU de guttural. pg. 149 sq.) tum imprimis digna sunt quae comparentur ea quae ab abstractis in *-iôn-* exeuntibus deriuata sunt uelut *auctiôn-âri contiôn-âri potiôn-âre* et recentiora quaedam, quae congessit PAUCKERUS KZ XXVI pg. 270 not. 39.

Haec quo probabiliora sunt, co minus alteri quoque

---

[1]) De suffixo *-(â)no-* idem ualere ostendunt SCHNORR DE CAROLSFELD Woelffl. arch. I pg. 182 sq. et W. MEYER ib. V 229. — Eis quae dixi fortasse eximenda erunt abstracta quaedam in *-îna* exeuntia (*rapîna ruîna sagîna* al.) quae nunc quidem missa facio.

uocabulo adhibere dubitabimus. *Opinari* igitur uidetur originem ducere ab abstracto aliquo * *opiôn-* * *opîn-* quod ab eadem radice descendit a qua * *optus optare* neque aliter abstracto *optiôn-* respondet atque *(usu)căpio captioni*, *obsĭdiôn-* i. e. * *obsĕd-iôn- obsessioni* i. e. * *obsed-tiôni*, *legirŭpio*, quod ne post ea quidem quae F. SCHOELLIUS ad Rudentis Plautinae uersum 709. monuit pro nomine agentis uendere desistunt, *ruptioni* alia. Quid quod fortasse etiam uerbi a quo abstractum * *opiôn-* deriuatum est reliquiae exstant in Festi glossa *praed-opiont*, *praeoptant* (pg. 205, 13), si recte ita correctum est pro *praedotiont* codicis. Ab *opinandi* uerbo denique descendit ut composita illa *inopinus necopinus* sic abstractum quoque *opinio* ut a *postulandi* uerbo *postilio*, ab *internecandi internecio*, a *rebellandi rebellio*. Errant enim qui *rebellio* abstractum iam a Caesare usurpatum ab adiectiuo *rebellis* deducunt quod a Vergilio nouatum esse supra uidimus; descendit inde appellatiuum *rebellio* multo post aetatem Vergilianam exortum.

Denique neminem in eo offensurum esse spero quod in eodem uocabulo bis idem suffixum (*opîn-iôn-*) adhibitum esse statuo. Hoc enim non solum factum uidemus si prioris suffixi natura dudum tenebris obuoluta erat ut in *opinione* euenit, sed etiam ne intercedente quidem uerbo denominatiuo in uocabulis, in quibus bis adesse idem suffixum primo obtutu apparebat uelut in his *Afrâni-ânus Fundâni-ânus Turrâni-ânus*. Vel si in his licentiam illam excusationem nominis proprii habere putas, conferas adiectiua non nimis pauca quae bis suffixum *-âri(o)-* continent *ferr-âri-ârius sal-âri-ârius sigill-âri-ârius simpul-âri-ârius specul-âri-ârius* et reliqua eius generis quae enumerauit PAUCKERUS KZ XXVII pg. 117 s. u. *armararius*.

IV.

Exstat praeter substantiua suffixorum *-tât-* et *-tûdin-* ope a nominibus in *-i̯o-* exeuntibus formata quae supra inter parium uocalium dissimilationis exempla esse uoluimus alterum quoque eorum genus breuiorem stirpis speciem referens. Vocabula dico ad hunc modum comparata: *anxi-tudo* (Pacuv. Acc. Cic.), *noxi-tudo* (Acc.),[1] **dubi-tât-* quod in *dubitandi* uocabulo latet; est enim e **dubitât-âre* exortum (cf. FICKIUM KZ XXII 98 sqq.; STOLZIUM gr. lat.[2] § 68). Hanc formationis rationem, quam non nisi priscis temporibus adhibitam postea ab altera loco motam esse uides, ut recte intellegere possimus, iterum STREITBERGII commentatione (l. l. pg. 189 sqq.) effectum est. Vt enim ille sibi respondere animaduertit *alis Clodis medi-* (in *meditullium*, ac de his et similibus cf. de nom. lat. comp. § 31, 1) et **alios* **Clodios* **medios*, sic abstracta etiam quae modo attulimus et ea in *-ietât-* *-ietûdin-* exeuntia de quibus antea dictum est sibi respondent. E quibus priora eodem modo a stirpibus debilitatis *anxi-* *dubi-* *noxi-* deriuata sunt quo *ciuitas* a **ciui-*, *qualitas* a **quali-*, *societas* autem et *ebrietas* aliaque i. e. **sociitas*

---

[1]) Quamquam hoc uocabulum fortasse a substantiuo *noxa* potius quam ab adiectiuo *noxius* deriuatum est. Qualia non spreuerunt auctores uetustissimi *oleitatem* (Cato), *ficitatem* (Nou. com. 27), *libidinitatem* (Laber. com. 81) sim. adhibentes.

******ebriitas* a stirpibus **socio-* **ebrio-* eodem modo quo et *nouitas* a **nouŏ-* et *ueritas* a **uerŏ-*.

Iam si haec adiectiuis illis in *-êno-* exeuntibus adhibemus quae secundo capite tractauimus, apparet haec quoque a stirpibus fortibus esse deriuata et redire e. gr. *aliênus* i. e. **aliînus* uel *Luciênus* i. e. **Luciînus* ad stirpes **aliŏ-* et **Luciŏ-* ut *uicînus* redit ad stirpem **uicŏ-*, *coruînus* ad stirpem **coruo-*, *hirquînus* ad stirpem **hirquŏ-*. Verum a primo suspicari licet hic quoque exstare a stirpibus debilitatis deriuata, nec quae forma eorum esse debeat collatis eis quae a stirpibus *i* uocali terminatis descendunt dubitare poterimus. Generis autem illius quod modo in comparationem uocauimus formae sunt uelut tales: Plautinae: *marînus melîna* (a *meli* Epid. 23, u. VSSINGIUM ad h. l.) *omnîno piscîna Praenestînus*, Catoniana: *anguînus* (de agric. 73), Ciceronis *cisalpinus Calactinus collinus Reatinus Tiberinus*, Celsi *felinus*, Plinii *tigrinus*, extremorum linguae temporum *cohortalinus follinus ouinus pellinus*. Ab his igitur non differunt Plautina *canterînus* (Men. 395) a *canterio* et *latînus* a *Latio* nec magis posteriorum haec: *Lanuuînus* Cato al., *Canusînus Crustumînus Crustumerînus* Varro al., *Arretînus Dyrrhachînus Hirtînus* (ab *Hirtio*) *Iguuînus Palatînus Patauînus Rhegînus* Cicero al., *Gabînus* Vergil. al., *Capitolînus Clusînus Spoletînus Sutrînus Thurînus* Liuius al., *Marruuînus* Plinius al., *Vesuuînus* Sil. Stat., *Trifolînus* Iuuenal. al., quae omnia a stirpibus in *-io-* exeuntibus debilitatis profecta esse patet. Adde et *Titînium* et *Scantînium*, quae eodem modo cum *Titio* et *Scantio* uidentur cohaerere.

V.

Non uereor ne quis me acta acturum esse dicat, si ad suffixi quod tractamus formas falsa analogia dilatatas *-gno- -gino-* et similes me conuertero, etsi dudum quid de his iudicandum esset cognouerunt L. MEYERUS gr. comp. II pg. 515, SCHWEIZER-SIDLER gr. lat.[1] § 275, 2 = [2] § 265, PAULI studia ital. II pg. 115, praecipue uero THURNEYSENUS KZ XXVI 308. Hi enim ut nonnulla quisque bene perspexit, tamen de omnibus pari accuratione iudicare aut noluerunt aut non potuerunt. Quo factum est ut dubitari quidem non iam possit quin terminationes illae cum uerbi *genendi* radice non cohaereant, sed e suffixi *-no-* aliorumue cum stirpium antecedentium sonis finalibus conglutinatione fluxerint, sed et genera nondum satis accurate discreta sint nec per quas uias analogia processerit satis sit exploratum.

Ac primum quidem formas quae huc faciunt secundum temporum ordinem digestas exhibebo omnes. Sunt autem hae:

Plauti: *abiegnus* Cas. II 6. 32; habent Ennius quoque et Propertius;

aprugnus Pers. 305, Poen. 579; *apruginens* habet Apicius;

capreâginus Epid. 18 (*capreaginum genus* AB[1]J quod dummodo in tertia syllaba primum ictum ponas probum uersum efficit. Igitur eo minus causae erat cur GOETZIUS spreta optima memoria deteriorum codicum lectionem *caprigenum* reciperet, cum pellis maculata qua Plauti de diuersis aduerbii *uarie* significationibus iocatio nititur *caprearum*, non

caprorum aut *caprarum* propria sit, cf. VSSINGIUM ad h. l.);

Catonis: *fabaginus* de agr. 54, 2;

oleagineus ib. 20, 43, 45, 48, 55, 130; habent et Varro et Plinius aliique;[1] *oleaginus* Nepos Plin. al.;

uitigineus ib. 41, 3; Colum.; Plin.;

legis parieti faciundo (CIL I 577), modo in exemplari aetatis imperatoriae hae formae recte seruatae sint: *abiegnea* II3, 4; *abiegnieis* II 1; *abiegineas* I 19;

Columellae: *tiliagineus*;

Macrobii: *capraginus*;

Dynamidiorum: *miliginus* (a *milio*).

Quadruplex in his est terminationum formatio: *-gno- -gino- -gneo- -gineo-*. Atque ipsa forma quadruplex uidetur inter ea argumenta referenda esse quibus CORSSENUS refellitur *abiegnus* „von der fichte entsprossen" uertens (krit. nachtr. pg. 123) et *benignus malignus priuignus* comparans. E quattuor autem formis CORSSENI sententiae maxime repugnant quae in *-gino-* et *-gneo-* exeunt. Etenim in secundis membris compositorum quae a radice *gen* descendere pro certo exploratoque est uelut *indigena alienigena Troiugena* aliis numquam non inuenitur uocalis *ĕ* quae quomodo explicanda sit, uideas de nom. lat. comp. § 21, 1; 22, 1; quo pacto uero eiusmodi membro suffixum *-eo-* addi potuerit, nemo opinor dicet. Sed etiam e stirpium quae ante terminationes illas inueniuntur forma certissime concluditur *aprûgineus* et similia fuisse deriuationes, non composita. Nam in *fabâginus* quidem et *oleâginus* adiectiuis quamquam ubique praeterea in priore compositorum membro stirpes primae declinationis in *ĭ* uel *ŏ* exeunt—graecissant *Asiâgenus* et *Veiâgenus* (de nom. lat.

[1]) Quam uetus sit uocabulum, praeterea docent Paul. F. 192, 4; Gell. V 6. 4 (*coronae oleagineae*).

comp. § 31, 2) — possis tamen suspicari cum BRUGMANNO gramm. comp. II pg. 57 inesse *â* illam qua olim stirpes istae terminabantur. At unde longam uocalem in secundae declinationis stirpibus (uelut *aprûgineus*) obuiam fluxisse autumabis? Nempe neminem inuentum iri confido qui POTTIUM compositum casuale adesse suspicantem (quaerit enim KZ XXVI 232 not. 1: „*aprugnus aprûgineus* etwa vom ablativ *aprô?*") sequatur. Denique id non neglegendum esse uidetur quod THURNEYSENUS quoque l. m. adumbrauit: potuisse Lucretium quidem confingere quod quin compositum sit dubitari nequit *uitigenus* (*latices, liquor*), at pro raro compositorum in prosa Romanorum oratione usu uix credibile uideri Catonem more prorsus poetico *acus fabaginum* quasi fabis genitum uocauisse.

Extra dubium igitur positum est quin adiectiua quae attuli non sint composita, sed deriuata. Quoniam autem linguae cognatae quod suffixis *-gno- -gineo-* etc. respondeat non habent, in ipsa lingua latina eorum origo quaerenda est. Atque habuit lingua latina praeter suffixa materiem denotantia *-no-* et *-eo-* tertium quoque ex his contaminatum *-neo-*. Quod num ante linguae latinae primordia exortum sit quae uidetur L. MEYERI sententia esse (gramm. comp. II pg. 462) nunc non quaero contentus si adnotauero alternasse linguam suffixa *-no-* et *-neo-* in eiusdem stirpis deriuationibus.[1]) Iamque omnium primum hoc perspicitur quomodo formae in *-gno-* et *-gneo-* exeuntes exoriri potuerint. Scilicet sicubi suffixa *-no-* et *-neo-* ad stirpem gutturali terminatam accedunt, en habes noua illa suffixa *-gno-* et *-gneo-*:

---

[1]) Ne id quidem extricare potui qua lege formas in *-no-* et *-neo-* exeuntes alternauerint. Errauerit enim qui alterutram ab eiusdem aetatis scriptoribus aut solam aut praecipue adhibitam esse dicat. Velut ut exempla Catoniana proponam habet is *ficulneus* de agr 30; 31, 1; 37, 5; 54, 2; *iligneus* ib. 5, 7; 18, 9; 31, 1; *populneus* 5, 8; 30; 54, 2; *querneus* 5, 8; 30; 54, 2; at *faginus* ib. 21, 5; *salignus* ib. 20, 1; 43, 1 (*saligneis*), *populnus* Plaut. Cas. II 6. 32. Nec longiorem

-*gno*-: *ilig-nus larig-nus salig-nus;*
-*gneo*-: *ilig-neus salig-neus : ilig-nus salig-nus = aene-us : aenus.*

Nec minus facile formarum *-gino- -gineo-* origo perspicietur, si hoc solum meminerimus quod monuit THURNEYSENUS l. m. a substantiuis in *-âgin- -îgin- -ûgin-* exeuntibus posse solius uocalis *-o-* ope adiectiua deriuari. Hinc quae in *-gino-* exeunt, at si deriuationi suffixum *-eo-* inseruiebat, quae in *-gineo-* exeunt:

-*gino*-: *ferrûgin-us;*
-*gineo*-: *aurîgin-eus calîgin-eus cartilâgin-eus ferrûgin-eus fulîgin-eus lanûgin-eus silîgin-eus similâgin-eus.*

Hinc igitur terminationes illae et posteriores quidem una cum uocali producta quae antecedebat (*fab-âginus apr-ûgineus*) ad alias stirpes translatae sunt. Quibus in transferendis duplex causa se efficacem praestitit: scilicet aut stirpes ueteres et nouae similem notionem habebant ut in adiectiuo *abiegnus* ad exempla horum *ilignus larignus* etc. quae ipsa ab arborum nominibus descendunt formato factum est, aut per speciem externam fieri potuit ut, quae reuera a substantiuis in *-âgin-* et *-ûgin-* exeuntibus descendebant, referrentur ad stirpes in *-a-* uel *-o-* exeuntes ut in his *ferrûginus similâgineus* factum est quae a *ferro* et *simila* deriuata esse putabantur.[1])

Non raro fieri quod nos modo demonstrauimus ut pars aliqua stirpis cum suffixo artissime cohaerens ad alias stirpes quasi nouom suffixum transferatur notum est, quippe quae res quasi fons sit largissimus totius uerborum

---

formam uolgarem fuisse merito dixeris; *eburneus* enim adiectiuum Ciceroni quoque usitatum est. Poetae dactylici formis diuersis sollerter et pro metri ratione usi sunt, ut Ouidius uel pro adiectiuo *fraxineus* quod alibi ipse adhibuit metri lege coactus pariumque quae attuli similiumque analogia illectus uno loco *fraxinus* uice adiectiui adhibere non dubitauerit (her. XI 76).

[1]) Conferas et *ferulâgo* : *ferula* et similia.